



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

X. De efficacia ministerij Euangelici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

Lauabit in sanguine uuae, hoc est, in uino rubro stolam suam. Etsi enim stola tincta uino rubro uideatur non elui, sed contaminari: sic mors & ceterae calamitates uidentur Ecclesiam prorsus deleturam esse: Tamen ut Amiantus gemma in ignem coniecta non consumitur, sed fit lucidior & purior, Sic Ecclesiae per ipsas lucet ærumnas decus, ut supra capite 37. Octo causae finales seu utilitates ærumnarum Ecclesiae recensuimus, quae adhibeantur ad hunc locum illustrandum.

X.

Dentes eius Lacte candidiores

Efficacia ministerij Euangelici describitur. Ut enim infans lacte materno alitur: Sic Ecclesia & omnes pii in hac uita aluntur & sustentantur, & à peccatorum deformitate liberantur, & candidi fiunt per uerbum Euangelij CHRISTI in ministerio sonans.

*Omnes sequentes benedictiones, tantum
ad res corporales, non ad
Christum perti-
nent.*

*Zabulon promittuntur diuitiae, ut semper litto-
rales*

rales urbes propter mercaturam opibus antecellunt
ceteris urbibus mediterraneis.

Isaschar, Meditullium Palestinae tenuit foecundis:
et captus terrae ubertate, maluit tributum pendere
Regibus Assyrijs, quam labores et pericula bel-
lica sustinere.

Dan iudicabit populum suum, etsi qua alia
tribus Israël, tum haec quoque, praestantem iudicem et
Heroem pariet, uidelicet Samsonem, qui Philistaeis erit
coluber in uia, et cerastes in semita.

Est autem Cerastes serpens cornutus, quem Pli-
nius lib. 8. scribit, habere quadrigemina cornua instar
arietum.

Gad ducet exercitum. Ios. 1. praecedit exerci-
tum.

Aser pinguis panis eius) antecelluit ubertate
Soli.

Neptalim cerua) Completa est haec propheta
in Debora et Barac, Iud. 5.

Ioseph seu Ephraim & Manasse. Horum
praedicat praecipuam potentiam fore in tota posteri-
tate,

Filiae tuae, id est, urbes Regni bene gubernantur.
Etsi aliqui se opponent: Tamen manebit arcus
eius firmus, roborataque brachia manuum eius.

Inde pastor, lapis Israël, id est, uiri praestantes,
quorum uirtute, sapientia, gloria, innotet regnum
Israëlis.

Israëlis, seu Reges Israël ex tribu Ephraim orientur.

Beniamin lupus Rapax) Hec Prophetia existimatur completa esse in Saul & Gabaa, Iud. 21. Sed alij ad urbem Ierosolymam in tribu Beniamin sitam accommodant, quæ sedes fuit Aula Regiæ & collegij Sacerdotum, & omnes redditus reliquarum tribuum instar lupi deuorauit.

Alij ad Paulum Apostolum accommodant, qui prima etate uastauit pecora Domini. Postea conuersus amplissima spolia toti Ecclesiæ impertiuit.

Collegit pedes suos super lectulum) Nam antea in lecto sedit.

Et obiit IACOB, appositusq; est ad populum suum) Anno mundi

Anno etatis suæ 2255.

Ante Christum natum 147.

Post descensum in Ægyptum, anno 1707.

Ante mortem Iosephi 17.

54.

¶ = CAPVT